



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In  
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

Reg. de potestate Reverendißimi Domini Vicecancellarii & Cancellariam  
Regentis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

illam suspensionis à perceptione emolumentorum huiusmodi pro prima ad semestre, & pro secundo ad annum & pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis Officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excefferint pœnis, ac voluit, quod S. R. E. Vicecancellarius & Camerarius excedentes ipsos respectivè, prout eis subsunt per subtractionem emolumentorum eorundem, ac aliis, ut præmittitur, compellant ab huiusmodi illicitis exactionibus abstinere, & contra eos per prædictas pœnas & alias, prout melius expedire viderint, procedant.

QVOD CARDINALES NON COMPREHENDANTUR sub regulis faciendis.

67 **I**tem cum S. R. E. Cardinales ipsi sanctissimo D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prerogativis & privilegijs gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, & declaravit, quod in quibuscumque Constitutionibus, & regulis per sanctitatem suam in posterum post hanc primam editionem, & suarum constitutionum & regularum publicationem faciendis, non includantur ipsi Cardinales, nisi illa eorundem Cardinalium favorem concernant, vel ipse constitutiones edenda de eorundem Cardinalium, vel majoris partis eorum consilio edita fuerint.

DE POTESTATE REVER<sup>mi</sup>.  
Domini Vicecancellarii, & Cancellariam  
regentis.

68 **P**rimò quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris Apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel deleverent.

Item quod possit corrigere nomina, & cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratia & concessiones fiunt ac beneficiorum, dum tamen de corpore consistet.

Item quod possit omnes causas beneficiales, etiam devolutas committere in curia cum potestate citandi ad partes.

Item quod processus Apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachij secularis, & sententias executioni demandari facere contra intrusos & intrudendos per litteras Apostolicas de super consociendas, & non alias.

Item quod possit signare supplicationes manibus duorum Referendariorum signatas de beneficijs Ecclesiasticis, secularibus & regularibus dispositioni  
Apostolice



*Apostolica generaliter non reservatis, quorum cuiuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonen, parvorum, seu totidem in alia moneta secundum communem estimationem, valorem annum non excedat.*

*Item quod possit signare supplicationes duorum Referendariorum manibus signatas de novis provisionibus si neutri, & subrogationibus pro colligantibus, in quibus non datur clausula generalem reservationem importans.*

*Item quod possit ad ordines suscipiendos archidati prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus usque ad proxima tunc à iure statuta tempora, in quibus sic archidati successivè ad ipsos ordines promoveatur.*

FINIS REGVLARVM CANCELLARIAE APOSTOLICAE, & Commentariorum Ioannis à Chokier; quæ S. Pontificis, ac Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ censure subjiciuntur.

IESV CHRISTO REDEMPTORI, EIVS QVE PISSIMA MARI, semper Virgini laus, honor & gloria.

